



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Q. D. B. V.

DE

L V C A
EVANGELISTA
MEDICO

SVPERIORVM SVFFRAGIO

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

PVBLICE DISSERIT

IOANNES DIEDERICVS
WINCKLERVS, A. M.

VOCATVS ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE
PRACTICAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
IN GYMNASIO HAMBVRGENSI

RESPONDENTE

CAROLO CHRISTIANO WOOG
DRESDENSI, PHILOS. BACCALAVREO.

DIE VII. NOVEMBR. A. O. R. M DCC XXXVI.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

(3)

Bib. Bö

Handwritten text in a dark, possibly inked, script, appearing to be a signature or a name, located at the bottom left of the page.

A M P L I S S I M O,
Q V O D I N
P E R I L L V S T R I A C L I B E R A
S. R. I
R E P V B L I C A H A M B V R G E N S I
F L O R E T,
C O L L E G I O
S C H O L A R C H A L I
S I N G V L I S Q V E E I V S M E M B R I S,
V I R I S
S V M M E R E V E R E N D I S, C O N S V L T I S S I M I S,
E X C E L L E N T I S S I M I S, S P E C T A T I S S I M I S
D O M I N I S, P A R E N T I, P A T R O N I S
E T F A V T O R I B V S
D E V O T A M E N T I S V E N E R A T I O N E
A E T A T E M P R O S E Q V E N D I S.



V I R I
SVMME REVERENDI, CONSVL-
TISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
SPECTATISSIMI,
DOMINI, PARENS, PATRONI
AC FAVTORES
AETERNVM VENERANDI



*P*atronis qui labores suos
inscribere solent, in eo
occupati sunt praecipue,
vt, iustissimis se ad id
consilii capiendum impulsos fuisse causas,
prohent. Quodsi vero cui vniquam
aequae fuerunt causae, mihi sane iam gra-
uissi-

uissimae sunt, VOBIS dicandi praesens
hoc periculum philologicum. Dum enim
in eo sum, ut Lucam meum medicum in
publicum producam, a VOBIS, VIRI
SUMME VENERANDI, CONSULTIS-
SIMI, EXCELLENTISSIMI, SPECTA-
TISSIMI, in locum Magni Ioannis At-
berti Fabricii, nuper caelitibus adscripti,
me delectum, et a MAGNIFICO Reipu-
blicae nostrae SENATU, electionem cle-
menter confirmante, rite vocatum non si-
ne insigni animi affectu sentio. Arduum
quidem est, fateor, tanti Viri esse suc-
cessorem, cuius nomen serae posteritati
erit sanctissimum. Diuini Numinis au-
tem, cuius summa in me beneficia nullo
non tempore expertus sum, prouidentiam
VESTRaque iussa submisse venerans non
possum non laetus obtemperare Vtrius-
que nutui. Proximam inde, quam prae-
bet qualiscunque haec dissertatio acade-
mica, publice testandi VOBIS deuotae
mentis pietatem, occasionem arripio; spe-
cer-

certa fretus, fore, ut VESTRA beneuo-
lencia, quam in me summam VESTRIS
suffragiis indicastis, semper eodem me te-
nore complectatur. Ego, qui optimi De-
cessoris exemplum perpetuo ob oculos ver-
sari mihi iussi, in id incumbam vnice, ut,
si gloriam tanti Viri tenuis ingenii viri-
bus exaequare nequeam, hanc enim qui
exaequent, paucos habebit in posterum
orbis eruditus; ipsius tamen in Deum
pietatem, erga Superiores obsequium, et
in obeundo munere candorem studium-
que pro virili parte assequar. VOBIS
autem, VIRI SUMME REVEREN-
DI, CONSULTISSIMI, EXCEL-
LENTISSIMI, SPECTATISSIMI,
quorum auspiciis Gymnasio bene est, ulte-
riorique VESTRAE protectioni me et co-
namina mea commendans, Deum Opti-
mum Maximum suppliciter obtestor, ut fau-
sta prosperaque cedant omnia, quaecun-
que a VOBIS in salutem utriusque Rei-
publicae, tam sacrae, quam civilis, opti-
mo

mo consilio suscipiuntur, egregio conatu
perficiuntur. Sitis Eius sub praesidio
domi forisque tuti semper ac beati, do-
nec, cum iam praemiorum suorum satie-
tas eam ceperit, sero astra petat
VESTRA virtus, a me et post ista fata
colenda.

VIRI SUMME REVERENDI,
CONSULTISSIMI, EXCELLEN-
TISSIMI, SPECTATISSIMI,

CELEBERRIMORVM NO-
MINVM VESTRORVM

cultor deuotissimus

IO. DIEDERICVS WINCKLERVS.



DISSERTATIO
DE
L V C A
EVANGELISTA
M E D I C O.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

*Varia occurrunt in vita diui
Lucae euangelistae, quae
singularem attentionem
merentur; §. I. imprimis
etiam quaestio: num medi-
cus fuerit? §. II. quam
nos affirmamus: §. III. (1)
propter testimonia tum ve-
teris ecclesiae doctorum,
§. IV. quae, quamuis ante
saeculum IV. nobis non ad-*

*sint, adfuere tamen olim.
§. V. tum recentiorum
scriptorum, idem affirman-
tium. §. VI. (2) ob con-
sensum diui Pauli apostoli
Col. IV. 14. quem de Luca
euangelista ibidem locu-
tum fuisse, omnes fere cre-
dunt. §. VII. rationes, cur in-
telligere illum ibi nos oporteat,
inducuntur. §. VIII.*
A ne-

2
 negarunt id quidem
 nonnulli, sed argumen-
 tis non satis firmis. §. IX.
 quaeritur, num ad-
 ditum τοῦ ἀγαπῆτος elo-
 gium ad vocem λουκᾶς,
 an vero ad τοῦ ἰατροῦ sit re-
 ferendum? §. X. (3) quo-
 niam ipse diui Lucae stilus
 idem comprobat. §. XI.
 Errarunt ergo, qui, Lu-
 cam medicum fuisse, plane
 negarunt; §. XII. ut et illi,
 qui, Lucam mystice tantum
 medicum dictum fuisse, exi-
 stimarunt. §. XIII. Refutan-
 tur, qui ex studio eius medi-

co, eum servilis fuisse condi-
 tionis, concluderunt. §. XIV.
 Num autem durantibus
 ministerii annis artem
 istam exercuerit, determi-
 nari nequit. §. XV. Quae
 de ἀλατιῷ diui Lucae,
 item de collyriis medicis,
 quae in tumultum eius de-
 pluerint, narrantur, fabu-
 lae sunt; §. XVI. nec non,
 quae de commercio ipsius
 cum Claudio Galeno non-
 nulli tradiderunt. §. XVII.
 Medici tandem notantur,
 qui Lucam patronum sibi
 adoptarunt. §. XVIII.

§. I.



Vm insignem vsum praebeant hi-
 storiae sacrae, ipsique librorum
 vtriusque foederis interpretationi
 accuratior eorum, quae circa vi-
 rorum diuinitus inspiratorum vi-
 tas memoratu digna sunt, cogni-
 tio; de diuo Luca euangelista idem inprimis affir-
 mandum est, cum in illius vita tanta occurrat re-
 rum memorabilium copia, vt ignorare eas plane
 nequeat, qui rite eius scripta intelligere cupit. Vti-
 lem

EVANGELISTA MEDICO.

lem ergo praestitere viri docti operam, qui in explicandis istis atque illustrandis operam suam collocarunt.

Is iam inde ab antiquissimorum temporum memoria singularis fuit vitarum scriptoribus honor, ut non libenti minus animo, quam diligenti studio legantur atque relegantur. Cum enim omnis historia delectet, tum vero ea delectationis habet plurimum, quae in vitis celebriorum virorum enarrandis occupata est. Tantum his inest iucunditatis pariter ac utilitatis, ut torpentes etiam ac somnolenti hic inueniant, quo excitentur, et quo attentionem suam alant, augeant atque subinde magis accendant. Multa discuntur ex illis singularia, quae ad ipsas scientias spectant, de quibus numquam cogitarunt, qui praecepta tantum proposuerunt; imo et arcana exinde quaedam colligi possunt, quae non scientiam tantum, sed et prudentiam hominis literati augent, iudice DAN. GEORG. MORHOFIO in *polyhistore literario*, lib. I. cap. XIX. p. m. 215. Valet autem hoc inprimis de sacrorum, quorum ministerio usus est spiritus sanctus in consignandis vtriusque foederis tabulis, virorum vitis. Hae namque cum mirum in modum inseruiant scriptis eorundem intelligendis feliciter et historiae sanctiori curatius explicandae, magni eas faciunt, qui in sacrorum literarum studio ulterius quotidie proficere gestiunt. Singularem inde iniere apud illos gratiam, qui ex instituto istas sumere sibi enarrandas, quaeque in iis videbantur obscuriora, ex incorruptis fideque dignis monumentis illustranda. In quo quidem summos nostri temporis viros singularem plane industriam posuisse videas. Horum exemplo commotus non poteram non insigni in illud studiorum genus rapi voluptate et simile quid tentandi cupidine. In animum ergo induxeram circa diuum Lucam euangelistam imitari tantorum virorum laudandam diligentiam, et quae tam in vita sancti huius viri occurrebant memoratu digna, quam de scriptis eius, diuino ab ipso afflatu consignatis, obseruanda erant, accuratius, pro virili quidem, enucleare; ac singulis

quibusdam dissertationibus academicis eruditorum examini subiicere. Cum vero cresceret sub manibus materia, serio hac de re institutae cogitationis auxilio, consilium mutandum erat. Vnum ergo saltem hac vice vitae eius momentum paulo plenius illustratum sisto beneuolo lectori; cetera alio fortassis tempore, si vitam Deus viresque concesserit, persecuturus.

Priusquam vero ad rem ipsam me accingam, non alienum esse puto, nonnullos eosque praecipuos illorum, qui vitam diui Lucae euangelistae descripserunt, indicare. Ex his, praeter eos, qui historiam ecclesiasticam primi post Christum natum saeculi adornarunt, commemorandus primo loco est auctor *commentarii in S. apostolum et euangelistam Lucam*, quem SIMEONEM metaphrasten esse voluerunt eruditi. Manuscripti huius commentarii graeci mentio fit in *bibliotheca Coislina* pag. 211. et a PETRO LAMBECCIO in *commentar. de bibliotheca Vindobonensi lib. VIII. pag. 224. 252. 259. et 262.* Graece et latine idem legitur in FRANC. COMBEFFI *II auctario nouissimo bibliothecae graecae patrum, part. I. pag. 513. ff.* et ad calcem ARETHAE *commentarii in apocalypsin*, subiuncti OECUMENII *commentariis*, Paris. 1631. fol. editis, tom. II. p. 853. ff. Graece exhibetur ad calcem *commentariorum Oecumenianorum*, Veron. 1532. fol. euulgatorum, p. 1009. latine autem apud ALOYSIVM LIPOMANNVM, Veronensem episcopum, in *vitis sanctorum*, tom. I. et LAURENT. SVRIVM in *vitis sanctorum*, ad d. XVIII. Octobris. Pertinent huc porro GILBERTVS COGNATVS, canonicus Nozerenus, in *vitis aliquot christianorum*, tom. II. operum pag. 233. FERDINANDVS VGHELLVS in *Italia sacra*, tom. VI. pag. 1107. GVILIELMVS CAVE in *antiquitatibus apostolicis*, quae, anglice ab auctore conscriptae, in germanicam linguam translatae prodierunt hic Lipsiae 1724. 8. pag. 762. sq. AVGVSTINVS CALMET in *prolegomenis in omnes et singulos scripturae sacrae libros*, tom. II. pag. 109. sqq. edit. latinae a IO. DOMINICO MANSI adornatae Lucae 1729. fol. IO. HENR. MAIVS in *examine historiae criticae Simonianae*, cap. XII. IO. ALBERTVS FABRICIVS, Prae-

EVANGELISTA MEDICO.

Praeceptor noster etiam post fata venerandus, in *bibliotheca graeca lib. IV. cap. V. pag. 132. sqq.* DAN. GVIL. MOLLERVS in *diss. de quatuor euangelistis, Altorfi 1699. habita, cap. IV. et* IO. ABRAHAM. KOEHLERVS in *diss. de S. Luca euangelista, Lips. 1698.* Plura qui cupit, adeat summi nostri aevi theologi ac philologi IO. CHRISTOPHORI WOLFII *curas philologicas et criticas in quatuor SS. euangelia et actus apostolicos, pag. 544. seq.*

§. II.

Inter cetera autem vitae eius momenta haud vltimi loci quaestio est, qua : num medicus fuerit? inquiritur. Quam quidem rem cum leuiter saltem tetigerint alii, alii in medio reliquerint, eandem paulo accuratius sub examen vocabimus.

Non defuere, qui de singularibus circumstantiis, vel ad vitam diui Lucae, vel ad scripta eius pertinentibus, speciatim commentati sunt. Sic de quaestione: num pictor fuerit diuus euangelista? quam magno conatu affirmare studuerunt romanae ecclesiae addicti, solide egit, eamque refutauit CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERVS in *ecloga historica, qua fabula pontificia de Luca pictore exploditur. Hal. Magd. 1734.* In Theophilum item, in cuius gratiam historiam tum seruatoris, tum apostolorum conscripsit Lucas, eiusque personam curatius inquisuerunt celeberrimus hodie Gotingensium theologus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in *diss. de Theophilo, cui Lucas historiam sacram inscripsit, inserta bibliothecae Bremensi, class. IV. fasc. III. pag. 470. sqq.* THEOD. HASAEVS in *scilimento ad laudatum HEVMANNI dissertationem, ibid. pag. 489. sqq.* IAC. HASAEVS in *diss. de Theophilo Alexandrino, cui Lucas historiam sacram inscripsit, ibid. fascic. VI. p. 1031. sqq.* IO. ADAM. OSIANDER in *diss. de Theophilo reuatiso. Tubing. 1659.* IO. GOTTLÖB STOLTZIUS in *vindiciis Theophili euangelici, Witteb. 1693. editis et recusis in thesauro theologico-*

philologico tom. II. pag. 282. sq. et GOTTLIEB SCHELGVIGIVS in *diss. de Theophilo. Gedani 1711.* Cum vero nemo hactenus de arte diui Lucae medica ex instituto egerit, illam paulo plenius explicandam nobis sumimus, a variis quidem, quamuis obiter saltem, hinc inde memoratam.

§. III.

Nos affirmare illud, quod medicus fuerit diuus Lucas euangelista, non dubitamus, tribus potissimum inducti argumentis.

Ponderatis probe, quae in veterum aequae ac recentiorum monumentis hac de re sunt tradita, tria in primis, quibus, diuum Lucam medicum fuisse, satis, ut videtur nobis, firmiter probari potest, deprehendimus argumenta. Ad testimonia primum prouocamus veterum pariter ac recentiorum scriptorum, qui idem nobiscum affirmarunt. Secundum argumentum diuus Paulus apostolus praebet, in epistola sua ad Colossenses data, cap. IV. comm. 14. Lucae medici mentionem faciens; quo quidem eum Lucam euangelistam innuisse, infra demonstrabimus. Ipse denique diui Lucae stilus, veterum medicae artis peritorum scribendi rationi plus, quam ceterorum euangelistarum, conueniens eandem caluisse eum, testatur. Vitimo tandem loco ex ipsis illorum, qui, Lucam nostrum medicum fuisse, negarunt, argumentis eorundemque leuitate thesin nostram fortius probabimus.

§. IV.

Quod ad testimonia attinet veterum pariter ac recentiorum scriptorum, quibus Lucas euangelista medicus perhibetur, primum in medium producendi erunt veteris ecclesiae doctores. Fuere enim haud pauci tam graecae, quam latinae ecclesiae, qui disertis verbis illud testati sunt.

EVANGELISTA MEDICO.

7

Ex graecis patribus nostro euangelistae hoc elogium tribuit EVSEBIVS, *ιατρον* eum appellans in *historia ecclesiastica, lib. III. cap. IV.* vbi etiam ad artem eius eleganter alludens scribit, reliquisse eum nobis in duobus voluminibus, diuinitus inspiratis, *των ψυχων θεραπειτικης υποδειγματα.* Sequuntur hunc praeter EPIPHANIVM CHRYSOSTOMVS *homil. XII. in epist. ad Colossenses, tom. VI. operum pag. 250.* THEODORETUS *commentario in epistolam ad Colossenses, tom. III. operum p. 363.* auctor *commentarii in S. apostolum et euangelistam Lucam* supra laudatus, qui eum ab arte medica, ceu nota propria, plerumque designari ait; THEOPHYLACTVS *argum. in Lucam, pag. 293.* NICEPHORVS in *historia ecclesiastica, lib. II. cap. XLIII.* MOSES BAR-CEPHA, episcopus Syrus, in *commentario de paradiso*; EPTYCHIVS, patriarcha haud incelebris Alexandrinus, arabice SAID IBN BARIK dictus, in *annal. Alexandr. tom. II. Menaea Graecorum, mens. Octobr. p. 114.* Quibus adde auctorem *uitarum euangelistarum quatuor*, quas ex codice arabico edidit PETRVS KIRSTENIVS *1708. fol. pag. 44.* et ZIGABENVM EVTHYMIUM in *commentario in quatuor euangelia*, citatum DAN. GVIL. MOLLERO in *diss. de quatuor euangelistis, cap. IV. §. 4.* ORIGENEM quidem, idem *homil. in epistolam ad Romanos* affirmantem, huc etiam refert IO. REISKIVS in *exercitationibus historicis de imaginibus Christi, exerc. V. cap. II. §. 4.* dubitamus autem, num ORIGENEM ipsum consuluerit REISKIVS, nobis enim opera eius euoluentibus locum istum reperire non licuit.

Ad latinae ecclesiae doctores quod attinet, HIERONYMVS a veteribus ecclesiae tractatoribus medicae artis scientissimum habitum fuisse Lucam, refert in *comment. in Esaiam c. VI. tom. V. operum, p. 28.* eumque de medico corporum in medicum animarum versum esse dicit, vti apostoli de piscatoribus piscium facti fuerint piscatores hominum, *comment. in epist. ad Philemonem, tom. IX. operum p. 213.* Hinc ille ibidem artem medicam, quam coluit euangelista, ad euangelium eius non ineleganter applicat his verbis: *cuius liber quotiescunque legitur in ecclesiis, toties eius medicina non cessat; et in epist. ad Paulinum,*

tom.

tom. III. operum, pag. 7. de actis apostolorum scribit: *nudam sonare videntur historiam, et nascentis ecclesiae infantiam texere; sed si nouerimus, scriptorem eorum esse Lucam medicum, cuius laus est in euangelio, animaduertemus, omnia verba illius animae languentis esse medicinam.* conf. eundem in epistola ad Damasum, tom. III. operum, pag. 83. et in prooem. ad Matthaeum, tom. IX. operum, pag. II. nec non in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. VII. tom. I. operum, pag. 173. Idem cum HIERONYMO affirmat DOROTHEVS martyr, episcopus Tyrus, in *synopsi de vita et morte prophetarum, apostolorum et discipulorum domini*, quae habetur in bibliotheca patrum magna, tom. III. pag. 148. et AVGVSTINVS de *consensu euangelistarum, lib. I.* Adde PAVLINVM carmine 24. et BEDAM, quem venerabilem vocant, *comment. in acta*; quorum ille eleganter canit:

*Bis medicus Lucas, prius arte, deinde loquela,
Bis medicus Lucas, ut quondam corporis aegros
Terrena curabat ope, et nunc mentibus aegris
Composuit gemino vitae medicamina libro.*

Ab vrbe tandem Antiochia, quae patria contigerat diuo Lucae euangelistae, nonnullis *medicus Antiochensis* dictus fuit, v. g. HIERONYMO in *catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. VII. tom. I. operum pag. 170.* et SOPHRONIO in *vita Lucae apud THEOPHYLACTVM comment. in quatuor euangelia*; quos et recentiores quidam sunt secuti.

§. V.

Constans ergo apud veteres fuit traditio, diuum Lucam fuisse medicum. Quamuis autem ante quartum post natum mundi seruatorem saeculum nulla hodie existant scriptorum ecclesiasticorum hac de re testimonia, non tamen inde, plane defuisse ea, coniiicere licet. Ex aliis enim scriptoribus paulo recentioribus, primis etiam post
natum

EVANGELISTA MEDICO.

natum Christum temporibus idem creditum fuisse, patet.

Non est, quod nobis obiiciatur, deesse ex tribus prioribus post Christum natum saeculis scriptores, qui, medicum fuisse euangelistam Lucam, fuerint testati. Recte enim loco supra iam citato prouocat HIERONYMVS ad *veteres ecclesiae tractatores*, qui medicae artis peritissimum crediderint euangelistam; quare hunc esse suspicatur ANDR. TIRACQUELLVS *libro de nobilitate, c. XXXI. n. 87. p. 263.* cuius meminit GALENVS in *aphorismis Hippocratis*, cum nullus ante GALENVM alius huius nominis medicus legatur. Dolendum vero est, periisse temporis iniuria illa veterum scripta, quae aetatem primis post natum seruatorem temporibus proximam attigerunt. Nec dubio caret, quin etiam de arte diui Lucae medica, vti et de aliis antiquitatis ecclesiasticae capitibus, plura fore ad manus nobis testimonia, si singula patrum scripta ad nos peruenissent. Supplet autem defectum horum ipsum diui Pauli apostoli, viri diuino spiritu acti, testimonium, quod instar omnium a nobis merito iudicatur, pluribus infra commemorandum.

§. VI.

Veteris horum ecclesiae doctorum sententiam non defuerunt ex recentioris aevi scriptoribus, qui calculo suo approbarunt. Quorum quidem vel praecipuos saltem hoc loco indicasse sufficiat.

Ex nostratibus imprimis huc pertinent OTTO BRUNSFELSIUS, quem inter primos, Lutheri qui partibus acceperunt, fuisse constat, in *catalogo illustrium virorum vet. et nou. testam. fol. 14. b.* CENTVRIATORES MAGDEBURGENSES *cent. I. lib. II. pag. 609.* FRID. BALDVINVS *comment. in epist.*

ad Coloss. cap. IV. c. 14. ERASMVVS SCHMIDIVS in *notis ad nouum testam. ad citat. Pauli locum*; MART. CHEMNITIVS in *harmonia euangelica, prolegom. cap. VIII. pag. 31.* IO. GERHARDVS in *exegefi loci de scriptura sacra, §. 245.* IO. GEODORSCHVS *prolegom. commentarii in euangelium Lucae*; IO. ANDR. QVENSTEDIVS in *disputationibus exegeticis in epistolam S. Pauli ad Colossenses, coniunctim excusis Wittebergae 1664. dissert. VIII. §. 29.* CONRAD. SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS in *appendice ad controuersias et quaestiones insigniores antiquitatum ecclesiasticarum, quas ex manuscripto edidit et compendio antiquitatum ecclesiasticarum, sua cura hic Lipsiae 1733. 8. prodeunti, annexit* IO. GEO. WALCHIVS; summus olim IO. ALB. FABRICIVS in *bibliotheca graeca, vol. XIII. pag. 309.* IO. REISKIVS in *exercitationibus historicis de imaginibus Iesu Christi, exerc. V. cap. II. §. 4. aliique.*

Ex reformatis idem senserunt RODOLPHVS HOSPINIANVS *de festis christianorum, pag. 149.* HVGGO GROTIVS *annotatis ad euangelium Lucae, tom. VI. criticorum sacr. pag. 1151.* GVIL. CAVE in *antiquitatibus ecclesiasticis supra citatis, pag. 763.* et in *historia literaria scriptorum ecclesiasticorum, saec. I. pag. 17.* IO. LEVSDENIVS in *philologo hebraeo-graeco, dissert. XVIII. sect. 14. pag. 145.* IO. CROCIVS *comment. ad Col. IV. 14.* IO. HENR. HEIDEGGERVS in *enchiridio biblico, pag. 486. sqq.* IO. CASP. SVICERVS in *thesauro ecclesiastico, tom. I. pag. 1433.* eiusdemque filius IO. HENRICVS in *commentario critico-exegetico in epist. ad Colossenses, qui cum professione eum medicum fuisse affirmasset, non exigua, addit, medicinae cum laude, etiam magno suo atque aliorum cum commodo, simul animo opem ferentem; rationem quoque adducit: neque dissident, pergens, inter se haec mendendi genera.* FRANC. GOMARVS in *explicatione epistolae ad Colossenses, tom. II. operum, pag. 249.* FRID. SPANHEMIVS in *historia ecclesiastica, tom. I. operum, p. 258.* CAR. DRE-LINCOVRT et DANIEL VINK, medici Bataui, ille in *operibus medicis, pag. 72. hic in amoenitatibus philologico-medicis,*

EVANGELISTA MEDICO.

11

cis, pag. 219. Adde IO. DAVENANTIVM, IO. CAMERONEM, aliosque.

Ex pontificiae denique ecclesiae doctoribus eandem suam fecerunt sententiam AVGVSTINVS CALMET in *prolegomenis in omnes et singulos scripturae sacrae libros, tom. II. p. 109.* IO. MALDONATVS *comment. in quatuor euangelistas, tom. II. pag. 5. a.* ANDR. TIRAQVELLVS *libro de nobilitate, cap. XXXI. n. 87.* FRANC. SIXTVS, Senensis, in *bibliotheca sancta, lib. I. pag. 21.* IO. STEPH. MENOCHIVS in *trattenimenti eruditi s. selua di varia lettioae, Rom. 1653. 4. part. II. pag. 487.* GVIL. ESTIVS in *commentario ad Col. IV. 14.* ETIAC. HYACINTHVVS SERRY in *exercitationibus historicis, criticis, polemicis de Christo eiusque virgine matre, Venet. 1719.* in forma quadripartita editis, qui cum *exerc. XLVII.* de imaginibus Mariae, quae a Luca pictae circumferuntur, differuisset, fabulamque illam explosisset, §. XI. Lucam ex pristina professione non pictorem, sed medicum fuisse affirmat.

§. VII.

Praecipuum ad demonstrandam artem Lucae nostri medicam argumentum, quod quidem primo loco commemorandum erat, ab ipsius diui Pauli apostoli testimonio desumitur. Facit hic mentionem Lucae medici *Col. IV. 14.* Euangelistam autem hunc ipsum fuisse, quem Paulus significauerit, credere ex veteribus aequae ac recentioribus vnanimi consensu fere omnes.

Maximum probationi nostrae ex testimonio hoc apostoli Pauli accedere momentum, quiuis facile perspiciet. Paulo accuratius ergo illud considerare, operae pretium erit.

erit. Cum primum Romae captiuus teneretur diuus apostolus, epistolam hanc ad christianos, qui in vrbe Phrygiae Pacatiana Coloffis erant, exarauit. Apparet id ex eo, quod spem reditus sui fouerit, ac faciat, et Timotheum praesentem sibi, haec scribens, habuerit, quo in secundo carcere destituebatur; vti docte obseruat summe reuerendus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, patronus noster deuote venerandus, in *curis suis philologicis et criticis in decem posteriores S. Pauli epistolas*, pag. 277. conf. et SALOM. VAN TIL in *isagoge ad epistolam Pauli ad Colossenses*, praemissa eius in *eandem commentario*, artic. VIII. Aderat ipsi tunc temporis etiam Lucas hic, cuius nomine Colossenses salutans *cap. IV. comm. 14.* Ασπάζεται, scribit, υμῶν Λουκᾶς ὁ ἰατρός ὁ ἀγαπητός. Fuisse autem hunc ipsum euangelistam Lucam, magnus fuit antiquitatis consensus non tantum apud latinos, sed et graecos patres, et in prolegomenis quoque arabicis, vti bene monet IO. GEO. DORSCHEVUS *prolegom. commentarii in euangelium Lucae*. Vt nonnullos adducamus, sentiunt ita ex veteribus EVSEBIUS in *historia ecclesiastica*, lib. III. *cap. IV.* THEOPHYLACTVS *argum. euangelii Lucae*, pag. 293. CHRYSOSTOMVS *homil. XII. in epist. ad Coloss. tom. VI. operum*, pag. 250. THEODORETVS *comment. in epistolam ad Colossenses*; HIERONYMVS in *catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, *cap. VII.* BEDA in *acta apostolorum*. Hos secuti ex recentioribus fere omnes, et imprimis, qui epistolam diui Pauli ad Colossenses datam commentariis illustrarunt. Ex nostratibus v. g. huc spectant MART. CHEMNITIVS in *prolegom. ad harmoniam euangelicam*, *cap. VIII. pag. 31.* IO. GERHARDVS in *exegesi loci de scriptura sacra*, §. 245. et in *annotationibus postumis in epistolam ad Colossenses*; DAN. ARCVLARIVS *comment. in acta apostolorum*; MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica*, p. m. 1197. aliique plures, quos supra ad §. VI. vna cum praecipuis reformatae pariter ac pontificiae ecclesiae doctoribus citauimus, qui Lucam euangelistam hoc loco a Paulo indicatum fuisse, strenue affirmarunt.

§. VIII.

Nec est, quod alium hic intelligendum esse Lucam, ab euangelista diuersum, credamus; cum nulla exstet ratio, quae a propria eaque faciliori interpretatione recedere nos iubeat.

Cum alias propriam et faciliorem interpretationem haud sine urgente necessitate deferendam esse, recte doceant, qui exegeticos sacrae praecepta tradunt, idem etiam circa hunc Paulinum locum obseruandum nobis est. Circumstantias vero illius si consideremus accuratius, et cum aliis eundem conferamus, deprehendemus, nullum alium Lucam, nisi euangelistam, a diuo apostolo fuisse intellectum. Coniungit iste Lucam hunc medicum, cuius nomine Colossenses salutatur, cum Dema, ut et Aristarcho, Marco atque Epaphra, quibuscum aliis etiam in locis eum coniunxit, nimirum *2. Tim. IV. 11. 12.* et *Philem. comm. 24.* quam quidem ad Philemonem epistolam eodem, quo illam ad Colossenses, tempore exaratam fuisse, plerisque persuasum est. In his autem locis nemo unquam, quin Lucam euangelistam indicauerit Paulus, dubitauit. Quae ergo foret ratio, cur in epistola ad Colossenses data alium, quam euangelistam, nos intelligeremus? Urgent argumentum hoc, et recte quidem, *GVIL. ESTIUS comment. ad h. l.* et *FRANC. GOMARVS tom. II. operum, pag. 249.* Alterum, quo fortius adhuc confirmatur illud, argumentum ipsa Lucae praebet praesentia. Aderat is Paulo apostolo Romae, cum hanc a Colossenses scriberet epistolam. Ex *Actor. XXVIII. 14.* enim constat, Paulum una cum Luca euangelista ceterisque itineris sociis post varias in Macedoniam, Graeciam, in plurimas Asiae prouincias, ac denique Hierosolymas susceptas peregrinationes Romam peruenisse, ibidemque captiuum retentum fuisse; in qua captiuitate quoque Lucas, qui hucusque et itinerum et laborum apostoli socius fidissimus fuerat, cum eodem perseuerauerat. Sine

omni ergo ratione alium Lucam fingeremus, Paulo tunc, cum ad Colossenses scriberet, praesentem hosque salutantem, eam saltem ob causam, quoniam medicum eum vocauerit. Concludimus potius in contrarium: cum ex antiquitate ecclesiastica constet, diuum Lucam euangelistam indiuiduum fuisse apostoli Pauli comitem, eidemque tunc temporis, cum ad Colossenses exararet hanc epistolam, Romae adfuisse, eadem vero veterum monumenta nos quoque doceant, medicum fuisse hunc Lucam euangelistam; nullus alius, quam hic euangelista, in citato Pauli loco ab eodem potuit intelligi. Alium enim Lucam, praeter euangelistam, Paulo familiarem, ignorat omnis antiquitas. conf. IO. GEORG. DORSCHVS in *prolegom. commentarii in euangelium Lucae*, et GVIL. ESTIVS loco *supra citato*. Accedit, quod inprimis vrgent B. MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica, ad h. l.* et B. IO. ANDR. QVENSTEDIUS in *disputationibus exegeticis in epistolam S. Pauli ad Colossenses, disp. VIII. §. 29.* additum τοῦ ἀγαπητοῦ epitheton, euangelistam hunc ipsum fuisse, aperte testari, illum nimirum propter plurima officia et fidem singulariter dilectum, qui Pauli erat *συγγεγος, Philem. c. 24.* et fidelis ac indiuiduus itinerum, periculorum carcerisque eius comes, inde a *cap. XVI. actorum* ad finem vsque, et vsque ad apostoli martyrium, *2. Tim. IV. 11.* quem etiam *2. Cor. VIII. 23.* prout HIERONYMVS censeat, fratrem suum appellat, cuius laus sit in euangelio per omnes ecclesias, et *comm. 23.* apostolum ecclesiarum ac gloriam Christi, quem iusserint ecclesiae comitem esse itinerum ipsius. *comm. 19.* Quae HIERONYMI sententia et ex eo confirmari potest, quod in fine epistolae memorantur Titus et Lucas, per quos epistola missa sit. conf. HENRICVS HAMMONDVS in *paraphrasi et annotationibus in nou. test. ad l. cit. et ad Rom. XVI. 7.*

§. IX.

Fuerunt quidem inter eruditos, qui hic Lucam

cam euangelistam neutiquam intelligendum esse putarunt, aliumque potius ab apostolo Paulo fuisse indicatum, contenderunt. Verum enimvero rationibus, quibus inducti illi pro hac opinione propugnarunt, rite expensis, eas minus probabiles esse, deprehendimus.

Primus, qui nobis innotuit, veterem et communem Paulini loci interpretationem in dubium vocauit DESIDERIUS ERASMVVS, Roterodamus, in *annotationibus ad nou. testamentum*, 1521. editis, pag. 511. quem secutus IO. CALVINVS *commentario in epistolam ad Colossenses*, tom. VII. *Operum*, Amstel. 1667. fol. excusorum; antiquitatis inde hostis et nouitatis amator dictus IO. MALDONATO in *commentario in quatuor euangelistas*, tom. II. pag. 5. a. In eandem sententiam deinde abierunt SAM. BASNAGE, qui in *annalibus politico-ecclesiasticis ad A. C. LX. n. 33. tom. I. pag. 713.* Lucam medicum a Luca euangelista solícite distinguit, et exnotratibus summe reu. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS *tom. II. poeciles*, pag. 518. sq. nec non GOTTLOB KRANZIVS, dubium esse iudicans, in *compendio historiae ecclesiasticae*, post mortem eius a IO. CASP. GEMEINHARDT auctius euulgato, pag. 50. in *notis*, vt et celeberrimus philologus Lubecensis IO. HENR. A SEELEN in *diatr. de medicorum meritis in sacram scripturam*, recusa in eius *meditationibus exegeticis*, part. II. pag. 699. sqq. §. 47. qui etiam dubitare videtur.

Rationes, quae, vt Lucam euangelistam ibi intelligant, non permittere videntur viris his doctissimis, quatuor potissimum sunt:

(1) quia notior ille fuerit, quam vt artis nomine eum designauerit Paulus apostolus, ideoque aut nullo plane addito, aut splendidiori titulo debuisse eum ab eodem insigniri, putant. Ita CALVINVS subsumit, quando *citato loco* ait: *non assentior iis, qui euangelistam Lucam intelligunt, nam et*
notio-

notiorem fuisse iudico, quam ut opus fuerit tali indicatione, et splendidiori elogio fuisset insignitus. Certe coadiutorem suum, aut fidum saltem comitem, et certaminum participem vocasset. In calce tamen, addit, se non contendere tantquam de re certa, sed tantum coniecturas afferre. Simpliciter eum, nullo addito artis nomine, Paulum designatum fuisse, si innuisset euangelistam, doctissimus HEVMANNVS censet *l. c.* Si isto loco Paulus innuisset comitem suum, omnibus notum, Lucam euangelistam, simpliciter vocasset Lucam, uti fecit 2. Tim. IV. II. At ut significaret, se de alio Luca loqui, discriminis causa addit *o iergos*. SAMVEL BASNAGIVS, qui quaestionem hanc magnis ponderibus examinandam artificisque non populari trutina iudicat, *cit. loco* Paulum addito potius euangelistae, quam medici, titulo Lucam commendatum fuisse, existimat. Quamuis enim medicinam concedat esse scientiam nobilem, multum utilitatis afferentem humano generi; tanto tamen infra praedicandi munus esse pronuntiat, quanto corpus a mente superetur. At vero, si dicendum quod res est, non videtur tanti esse ponderis haec ratio, ut idem nobis persuadeat, quam quidem nimis debilem appellat IO. GEORG. DORSCHVS saepius *cit. loco*, ut totius antiquitatis consensus ea infringatur. Rectius contra IO. MALDONATVS argumentatur *l. c.* Si Lucas ille, de quo Paulus loquebatur, euangelista non erat, aliqua eum debuit certiori nota distinguere, non ita describere, ut omnis erraret antiquitas, euangelistam putans, qui medicus fuerit, arte longe diuersa. Nec splendidiori titulo potuisse eum ab apostolo insigniri, monet, quam ut vnus inter multos, qui simul nominabantur, carissimus appellaretur, quod vocabulum intimum affectum denotat, quo titulo pater quoque caelestis filium e caelis vocabat. *Matth. XVII. 5.* Nemo sane Paulo carior, quam Lucas, perpetuus eius comes, aut esse poterat, aut vocari debebat, nemo solus carissimus, nisi qui solus eum in summis periculis non deseruerat. 2. Tim. IV. II. Timothei exemplum

exemplum in subsidium vocat MALDONATUS, qui, quamvis etiam adiutor Pauli fuerit in praedicando euangelio, non tamen semper comes aut eiusdem particeps certaminis appelletur, sed aliquando filius carissimus, *1. Cor. IV. 17.* titulo illi consimili, quem Lucae tribuit, aliquando tantum Timotheus, nullo adiecto epitheto honoratori, *1. Cor. XVI. 10.* Vti autem non necessariae semper sunt eiusmodi appellationes, a consuetudine potius et libertate scribentis pendentes, ita concedimus, necessarium quidem non fuisse, ut titulus medici adderetur; at sine vlla tamen textus diuini grauatione addi ab apostolo potuisse, simul obseruandum. Dum ergo diuus Paulus medicum hic vocauit Lucam, non euangelistam, libere id fecit, uti *2. Tim. IV. 11.* solo nomine contentus nihil addidit, contra *Philem. comm. 24.* pari libertate coadiutoris vocem adiecit. conf. FRANC. GOMARVS in *explicatione epistolae ad Coloss. part. II. operum, pag. 249.* Si quid interim coniectura assequi licet, fortasse ideo hoc loco Paulus medici nomen addidit, quoniam arte ista Colossensibus euangelista innotuerat, uti B. SEBAST. SCHMIDIVS existimat in *comment. ad h. l.*

(2) quia moris non sit, theologum a pristina viuendi ratione, sed a munere, quod praesens obeat, vocari. Urget hoc doctissimus BASNAGIVS, non ab ea arte, quam olim tractauerint verbi diuini praecones, designari eos postmodum putans; quare Lucam hic non a communi, sed a sacra potius disciplina titulum adipisci debuisse iudicat. Quid vero impedit, quo minus etiam a pristino vitae genere Lucas hic vocetur medicus? Simile exstat diui Matthaei euangelistae exemplum, qui ante conuersionem publicanum egerat, at apostoli iam munere fungens adhuc *τελωμας* vocatur. conf. HIERONYMVS *ad Col. IV. 14. tom. IX. operum, pag. 304.* Accedit, quod incertum adhuc sit, annon etiam tunc medicum Lucas egerit, adeoque non tantum pristina, sed etiam praesens fuerit haec eius viuendi ratio, qua de re pluribus infra dicemus.

C

(3) quo-

(3) quoniam Lucas iste, cuius nomine hic Colossenses salutabat apostolus, expers fuerit circumcisionis. Colligit hoc ex salutandi ordine laudatus BASNAGIVS, quotatur Paulus in eodem capite, *comm. 10. 11.* ubi sibi Aristarchum, Marcum et Iesum, Iustum dictum, solos ex circumcissione adesse cooperarios testetur. Hoc autem in euangelistam plane non quadrare ipsi videtur, qui in designandis temporibus Iudaeorum adhibeat disciplinam, pentecosten scilicet ieiunium, tertiam noctis vigiliam, adeoque iudaicum morem sequatur; cuius calamo spiritus sanctus usus fuerit exarandae non contemnendae sacrorum codicum parti. Diuina vero oracula, uti Iudaeis credita praecipua fuerint, sic iudaico quoque calamo scripto mandari debuissent, putat vir doctissimus. Hoc ipso ergo Paulum redarguere HIERONYMUM contendit, qui in *quaestionibus suis in genesin, pag. 39.* Lucam egisse profelytum, narrauerit. Dum enim Paulus apostolus Lucam medicum ex circumcissione vnum esse neget, coarguere eum traditionem de Luca profelyto, quoniam profelyti abdicato praepotio in vnum cum gente iudaica corpus coaluerint, ut adeo ex HIERONYMI traditione non obscuro discrimine Lucas euangelista a Luca medico distinguatur. Totum vero hocce BASNAGII corrui argumentum, duplici fundamento, quo illud nititur, euerso. Primum enim ex salutandi ordine, quem adhibuit Paulus, non sequitur, Lucam fuisse gentilem. Salutantes dum commemorat, primum eos, qui ex circumcissione cum ipso erant, nempe Iudaeos in sinu ecclesiae iudaicae natos, indicat: *comm. 10. 11.* inde ad eos, quos ex Colossensium coetu secum habebat, pergat: *comm. 12.* postea Lucam et Demam nominans, neque quod ex circumcissione fuerint, neque quod ex gentiliu numero, neque quod profelyti, affirmat, sed nuda nomina proferens, solo *του ιατρου* titulo Lucam designat. Deinde adeo certum non est, Lucam fuisse Iudaeum, neque id BASNAGIVS satis ex allegatis in euangelio Lucae ritibus dictisque iudaicis confirmat. Certe opus non erat ad consignandam historiam euangelicam, prius

prius sacra Iudaeorum amplecti. Satis erat, quod Christo fidem dederat euangelista, historiam eius consignaturus, quam non Iudaeis tantum, sed et gentilibus destinasse summi numinis clementiam, constat. Cumque gentiles etiam sub noui foederis temporibus dona spiritus sancti acceperint extraordinaria: quidni etiam illis spiritus sanctus uti potuit librorum sacrorum scribis? Imo ad peculiarem dei prouidentiam id referendum esse, putat IO. GEORG. DORSCHENS in *prolegom. comment. in euangelium Lucae*, quod, cum reliqui euangelistae procul dubio Iudaei fuerint, hic primus ex gentilibus ad euangelistae dignitatem assumptus, imo vnus, fuerit. Hoc enim ipso voluisse deum demonstrare, autumat vir summus, etiam gentiles ad euangelium pertinere. conf. IO. LVD. LINDHAMMER *ad acta apostolorum*.

(4) quoniam articulus, discernendi causa additus, magis suadeat, ut de alio quopiam Luca dictum hoc accipiamus, quam de Luca euangelista. Verba haec sunt DESIDERII ERASMI, Roterodami, *cit. loco*. Dubito autem, an satis praegnans sit haec ratio. Non enim discernendi causa additus ab apostolo fuit articulus; potius maioris illum emphaseos causa addidisse eum, dicendum erit, si aliquid significare deberet, quo digito quasi monstret Lucam illum euangelistam, quem medicum esse, omnes sciant, quemque ut fidelissimum suum comitem magni se facere, pariter constet.

S. X.

Cum itaque, neminem, nisi euangelistam Lucam, fuisse isto loco a Paulo apostolo intellectum, euietum dederimus; de addito ab eodem *του αγαπητου* elogio inquirendum adhuc est, num ad nomen Lucae referendum sit, an vero epitheton *του ιατρου* dicendum?

Medici epitheton esse το αγαπητος, putauit SEB. SCHMIDIVS in *comment. ad h. l.* quasi dixerit apostolus: *dilectissimus mihi medicus.* Et videtur ipsi quidem Paulus eum non tantum vocare medicum propter medicinam corporalem, sed maxime ob spiritualem, quod non corporum solum, sed et animorum medicus exstiterit; quomodo per elegantem allusionis tropum inclusum simul coadiutor dicitur apostoli. Rationem, quare epitheton του ιατρου faciat, reddit hanc, quoniam desit in graeco articulus. At vero haud videmus, quo fundamento hoc affirmauerit summus olim hic theologus. Adest enim in omnibus codicibus graecis articulus; qui quidem si adsit, ipse concedit SCHMIDIVS, Lucae iudicandum esse epitheton το αγαπητος. Nec vllum, qui omiserit articulum, codicem adduxit in sua noui testamenti editione IO. MILLIVS. Malumus ergo cum GVIL. ESTIO, quem a se dissentientem citat SCHMIDIVS, το αγαπητος esse epitheton non του ιατρου, sed Lucae, quasi dicat Paulus: *Lucas medicus, et mihi dilectus.* Quocum consentit etiam B. LVTHERVVS, qui vertit: *Lucas der Arzt, der Geliebte.* Additus autem hicce του αγαπητου titulus multum confirmat, quod Lucam euangelistam indicaerit apostolus, quippe in quem optime quadrat.

§. XI.

In primis vero ipse diui Lucae stilus, illum medicae artis fuisse peritissimum, euincit. Sermo enim eius cum ad veterum normam propius isto, quo vtuntur ceteri euangelistae, accedat, ipseque, vbi de morbis eorumque curationibus agit, verba magis, quam alii faciunt, adhibeat argumento idonea, recte inde, arti salutari eum operam dedisse, concluditur.

Suo iam tempore HIERONYMVS eam ob causam Lucae maiorem, quam ceteris euangelistis, graecae linguae peri-

peritiam tribuit, quoniam medicus fuerit. Sic enim in *epistola ad Damafum, tom. III. operum, pag. 83. Lucas, qui inter omnes euangelistas graeci sermonis eruditissimus, quippe medicus; et in comment. in Esa. cap. VI. ubi ipsum medicae artis scientissimum et magis graecas literas sciuisse quam hebraeas affirmat, ideo sermonem eius tam in euangelio, quam in actibus apostolorum comtorem pronuntiat, et saecularem redolere eloquentiam ait. Vnde non immerito eum dici posse polybistorem tersum et amoenum, iudicat DAN. GVIL. MOLLERVS in *diss. de quatuor euangelistis, cap. IV. §. 6.* Nec sine ratione comtum Lucae stylum studio eius medico assignat HIERONYMVS. Huic enim deditus cum graecos auctores, qui de arte medica praeceperunt, diligenti manu peruolutaret, inde eum stylum quoque magis magisque perpoliuisse, facile est iudicare.*

Ex recentioribus vero pluribus ex stilo euangelistae nostri, eum medicum fuisse, demonstraui IOANNES FREIND, medicus Anglus haud incelebris, in *historia medicinae a Galeni tempore vsque ad initium saeculi XVI. anglice scripta, quam latina ciuitate donatam edidit IO. WIGAN Lugd. Bat. 1734. 8.* Hic cum pag. 134. de medicis, in aliis artibus non minus, quam in sua, versatis multumque inde professionem suam ornantibus dixisset, Lucam etiam euangelistam in medium producit. Hunc, quamuis aliquam concedat ipsi hellenismorum et loquelae Syrae misturam, quod in homine ortu Syro et ab hellenistis verosimiliter ad iudaicam religionem conuerso ferendum esse putat, ex graecorum tamen auctorum, dum medicae arti studuerit, lectione stylum expoliuisse iudicat. Inprimis obseruat, eum, ubi de morbis aut curationibus eorum sermo incidat, ideo, quod medicinam professus fuerit, voces adhibuisse magis, quam alios, argumento idoneas. Profert, illud vt probet, nonnulla ex euangelio eius loca, eademque cum ceterorum euangelistarum locis confert. Primum *cap. V. c. 18. paralyti correptum admodum commode ab*

euangelista Luca *παράλελυμενον* dici notat, qui a Matthaeo *cap. IX. 2.* et Marco *cap. II. 3.* *παράλυτος* dicatur; quam quidem vocem nusquam apud veteres occurrere ait. Mulierem sanguinis profluuio laborantem secundo loco adducit. Eam a diuo Marco *cap. V. 26.* describi dicit quasi *πολλὰ παθούσαν ὑπο πολλῶν ἰατρῶν, καὶ δαπανήσασαν τὰ παρ' ἐαυτῆς πάντα, καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσαν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθούσαν*: quae omnia diuus Matthaeus *cap. IX. 20.* omiserit, Lucas autem eadem, alio tamen more, multumque in professionis medicae gratiam, tradiderit, cum pro eo, quod multa a multis medicis passa fuerit, et ex curatione deterius se habuerit, id solum dicat, quod vis morbi medicamento-
rum potentia maior exstiterit: *οὐκ ἰσχυρεν ὑπ' οὐδενος θεραπευθῆναι. cap. VIII. 43.* Porro de nummis a muliere impensis loquentem Lucam verbo perquam idoneo vti annotat, *προσαναλωσασα*, cum vox a S. Marco adhibita, nempe *δαπανήσασα*, luxuriosam tantum pecuniae profusionem proprie significet; quo sensu etiam eandem habeat in filii prodigi historia diuus Lucas *cap. XV. 14.* Ita in eiusdem mulieris tradenda curatione nihil aliud dicere Matthaeum obseruat, nisi *εσωθη*; Marcum contra, ad similitudinem locutionis hebraicae, *εξηρανθη ἡ πηγή τοῦ αἵματος*: Lucae vero phrasin, vti magis medicam, ita simpliciore quoque et correctiore esse iudicat: *εση ἡ ρυτίς τοῦ αἵματος*. A muliere sanguinis profluuio laborante progreditur FREINDIVS ad vocem Lucae, qua in describenda Christi morbos multorum sanantis historia vsus fuerit, diuersa ab istis, quas Matthaeus et Marcus adhibuerint. Hi ex ipsius mente non tam accurate versati sunt, quando ille de aegrotis a seruatore sanatis *cap. XIV. 36.* *διεσωθησαν*, et hic *cap. VI. 56.* *εσωζοντο* inquit, quam Lucas, qui verbo vtatur, sanationem peculiariter exprimente: *ἰατο πάντας. cap. VI. 19.* Ad centurionis famulum curatum inde peruenit, eumque a diuo Luca non sanatum modo, vti a Matthaeo *cap. VIII. 13.* sed *υγιαίνοντα*, perfecte valentem, commemorari obseruat *cap. VII. 10.* quo curatio efficacior significetur. *Cap. V. 31.* Lucas

cas ipsi magis commode voce *υγιαινοντες* vsus est, quam Matthaeus *cap. IX. 12.* et Marcus *cap. II. 17.* voce *ισχυοντες*, cum homines temperamentis validissimi morbis conflictari queant, v. g. capitis dolore, qui medici opem requirant, illi vero, qui bene valeant, hanc non desiderent. Quando de Petri socru agens Lucas *cap. IV. 38.* dicit: *ην συνεχομενη πυρετω μεγαλω*, hoc sermone eum uti putat, quo morbum curatu difficiliorem fuisse, ostendat; GALENO enim teste *μεγεθος* et *σφοδρτητα* in morbis eodem sensu a medicis vsurpari, hosque interdum febrem *μειζονα*, interdum *σφοδροτερην*, quam ante fuerit, dicere. Loca demum illa citat, quae apud Lucam euangelistam solum exsunt, v. g. *cap. IV. 23.* prouerbiū: *medice, cura te ipsum*, (quod etiam solum Lucam, quippe medicum, habere, uti Matthaeum, publicanum, illud: *οι βιασαι αρπαζουσιν αυτην*, *cap. XI. 12.* obseruauit ALEXANDER MORVS in *notis ad quaedam noui testamenti loca*, pag. 86.) et *cap. XXIV. 39.* verba seruatoris: *palpate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet*; in primis autem historiam de agone Christi, quo sudor ipsius factus sit uti guttae sanguinis decurrentis ad terram, a ceteris euangelistis omissam, perquam apte vero a Luca, utpote medico, *cap. XXII. 44.* commemoratam esse monet. Tandem illud etiam notatu dignum esse subiungit, quod Lucas euangelista in enarratione miraculorum seruatoris, quae ad sanationem pertinent, diligentior fuerit atque fusior, multasque protulerit historias, quas ceteri tacuerunt, v. g. de resuscitato viduae filio in vrbe Nain, *cap. VII. 11. sqq.* de viatore, a Samaritano, infuso vulneribus eius oleo vinoque, curato, *cap. X. 30. sqq.* de muliere, quae spiritu infirmitatis per octodecim annos laborauerit, a Iesu sanata, *cap. XIII. 11. sqq.* de homine hydropico, *cap. XIV. 2. sqq.* de decem illis, qui lepra infecti ad sanitatem redierint, *cap. XVII. 12. sqq.* et de aure serui pontificis maximi a Christo curata, *cap. XXII. 51.*

Haec sunt, quae diuum Lucam euangelistam satis fortiter medicum arguere, putat IOANNES FREINDIUS. Et

si dicendum quod res est, secure inde ad artem eius medicam utique concluditur. Interim neque hoc negari potest, nimium paulo partibus studuisse FREINDIVM, medicamque Lucae professionem benignius hoc de eo iudicium ipsi extorsisse; uti iudicarunt ARMAND DE LA CHAPPELLE in *bibliothèque angloise, tom. XII. part. II. p. 522.* et IO. CHRISTOPH. COLERVS in *der auserlesenen theologischen bibliothec, part. XXII. p. 874.* Vbi e. g. de verbo $\delta\alpha\sigma\pi\alpha\sigma\tau\epsilon\sigma\upsilon$ obseruat DE LA CHAPPELLE, non semper male sumi, idque exemplis ex AELIANO atque XENOPHONTE allatis probat. Quod etiam de verbo $\sigma\omega\zeta\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$ est obseruandum, quo non tam accurate ceteros euangelistas in enarranda aegrotorum a seruatore sanatorum historia vsos fuisse FREINDIVS pronuntiat; quod tamen ipse Lucas de recuperatione valetudinis adhibuit *cap. XVII. 19. XXIII. 35.* ut et *Actor. IV. 9.* Idem de nonnullis aliis, quae a Luca euangelista, tanquam medico, melius, quam ceteris euangelistis, descripta autumat, moneri possent, imo incautius quaedam fuisse ab eo prolata, demonstrari; si per temporis angustiam singula sub examen vocare licuisset. Quamuis autem nimium ita dedisse arti suae eiusque amori FREINDIVM, nec in omnibus, ubi Lucam tanquam medicum a ceteris euangelistis differre putauit, rem acu tetigisse, concedamus, nihil tamen inde ipsi argumento eiusdemque vi decedit. Accuratio enim euangelistae nostri in describendis morbis eorumque sanationibus opera, selectus in vocibus, quibus vsus est ibidem, adhibitus, ceterumque scribendi genus, medicorum loquendi rationi propius accedens, eum artis huius fuisse peritissimum, satis superque demonstrant.

§. XII.

Commemorauimus haec argumenta, quibus, diuum Lucam euangelistam fuisse medicum, probatur, tum a testibus id affirmantibus, tum ab ipso eiusdem stilo, idem demonstrante, desum-

desumpta. Haec quamuis aperte satis illud confirmant, quibusdam tamen viris doctis contraria potius sententia placuit, omnisque de arte diui Lucae medica traditio visa fuit incertissima. Cum vero non habuerint solidas ac sufficientes, quas regerere potuerint, rationes, tantum abest, vt detrahat aliquid eorum dissensus theseos nostrae veritati, vt ista potius, indicata argumentorum eorum leuitate, eo magis confirmetur.

Faciunt quidem illud, quos iam in medium produximus, viri alias longe celeberrimi, qui in citato diui Pauli loco alium, quam euangelistam, Lucam volunt subintellectum. Hi nimirum, ne ibi illum intelligere cogantur, artem quoque eius medicam in dubium vocant. Quamuis enim SAM. BASNAGIVS concedere videatur, aut potius cogatur, quod prius, quam euangelii ministerio consecratus fuerit, medicum Lucas agere potuerit, non tamen suo id calculo approbat, potius in scriptura causas adesse existimat, quae Lucam euangelistam a Luca medico distinguere iubeant. Praeter illos vero inprimis, nullo Paulini illius dictui habito respectu, negarunt, quod medicus fuerit Lucas, IO. HENR. BOECLERVS et GEORGIUS CALIXTVS, duumviri in historia alias tam sacra quam profana versatissimi. Et ille quidem in *historia sua vniuersali*, quam ex manuscripto edidit IO. GOTTLIEB MOLLERVS Rostoch. 1695. 4. hac de re ita iudicat: *fluxit ex Hieronymo vulgaris illa opinio, Lucam fuisse medicum, res tamen est incertissima.* Simile est CALIXTI iudicium in *concordia quatuor euangelicorum scriptorum*, pag. 4. vbi sententiam illam satis vulgatam, nec tamen satis ratam vocat. Nec abnuuit celeberrimus olim Lubecensium praeful B. GEORG. HENR. GOETZIVS; quamuis enim in *disquisitione de theologis pseudo-medicis* §. 17. siue in *meletematibus Annaebergensibus*, vbi

recudi eam curauit, pag. 470. in honorem antiquitatis ecclesiasticae statui posse dicat, Lucam euangelistam fuisse medicum, in oratione tamen de viris doctis, Lucae insignitis nomine, in qua Lucas euangelista primum locum occupat, ea, quae de medicina ipsius afferuntur in medium, ancipiti esse in loco atque certis destitui rationibus, iudicat, idque a quamplurimis hucusque probatum esse, pronuntiat. Citauit hanc in rem ibidem meletemata sua Annaebergensia, loco nobis iam citato; at vero ibi neminem, nisi BOECLERVM solum ex negantibus adduxit, vt adeo non videamus, quos per quamplurimos illos intellexerit, qui, incertum id esse, quod de Luca affirmauimus, demonstrauerint. Ad BOECLERVM autem et CALIXTVM quod attinet, quamuis magni alias aestimetur nobis eorum auctoritas, hic tamen nulla videtur esse, cum rationes, quae incertum id reddant, plane nullas adduxerint, nec causam, cur HIERONYMO fides non sit in hoc de Luca euangelista medico asserto habenda, vllam addiderit BOECLERVS.

Negantibus additur etiam B. THOMAS ITTIGIVS a CHRIST. STOCKIO in clauae linguae sanctae noui testamenti, pag. 462. CHRIST. LVD. OV. SCHLICHTERO in ecloga de Luca pictore, pag. 6. not. *) et IO. CONR. SCHWARTZIO in nuper editis commentariis graecae linguae, pag. 858. not. *) quasi in selectis capitibus historiae ecclesiasticae, saec. I. cap. VII. sect. 7. §. 2. Lucam medicum pariter ac pictorem fuisse, negauerit. Sed fugitiuo fortasse, quod aiunt, oculo consuluerunt ITTIGIVM hi viri docti. Refert enim is tantum, locum Paulinum nonnullis persuasisse, Lucam euangelistam fuisse artis medicae peritum eandemque exercuisse, ipse autem negat minime, sed in medio rem relinquit, vt et cel. PETRVS ZORNIVS in opusculis sacris, tom. I. pag. 335. vbi verba ITTIGII repetit.

§. XIII.

Illis, qui de arte Lucae euangelistae medica minus recte senserunt, annumerandus quoque est

BALTHASAR CORDERIVS, societati Iesu adscriptus, qui ea, quae de Luca medico tradiderunt veteres, mystice interpretatus est.

Haud mediocris fuit BALTHASARIS huius CORDERII, viri linguae imprimis graecae peritissimi nec in patrum lectione obiter versati, in catenis graecorum patrum edendis opera. Habemus ab eo *expositionem patrum graecorum in psalmos*, 1643. *Antwerpiae* euulgatam et in tres tomos distinctam, nec non *catenam graecorum patrum in S. Ioannem*, *Moreti* 1630. editam. Idem etiam prodire iussit *catenam sexaginta quinque graecorum patrum in S. Lucam*, quae quatuor simul euangelistarum introducit explicationem, *Antwerp.* 1628. de qua, ut et de duabus prioribus, vid. B. THOM. ITTIGII *tractatum de bibliothecis et catenis patrum*, cap. VIII. §. 4-6. et B. IO. ALB. FABRICII *bibliothecam graecam*, lib. V. cap. XVII. siue *Vol. VII. p. 742. sq. 780. sq. et 784. sq.* Hic in praefatione, praemissa catenae patrum in Lucam, eum mystice tantum dictum fuisse medicum, autumat, rationem reddens hanc, quoniam curandis hominum animis fuerit occupatus. Male vero sibi consulit CORDERIVS mystica hac sua explicatione. Numquam enim hoc sensu vocabulum medici in rebus historicis usurpari, constat. Abuti autem videtur istis patrum locis, quibus illi medicinam euangelistae nostri spirituales commendarunt, v. g. EVSEBII in *historia ecclesiastica*, lib. III. cap. IV. ASTERII, Amaseae episcopi, *sermone de poenitentia*, in *bibliotheca PHOTII Cod. CCLXXI. pag. 1489.* ubi vocatur Lucas *πλεον των ψυχων, η των σωματων ιατρος.* Vti autem veteris ecclesiae doctoribus plus iusto aridebat mystica illa et allegorica scripturam explicandi ratio, cuius dulcedine ductus nihil ipsis placebat, nisi quod allegorias sapiebat et sublimiorem sapientiam; ita hac in parte secutus illos CORDERIVS non potuit non in similem cum illis incurrere censuram, qua nimium ingenio

fuo indulgisse eum etiam in hac Lucae medici explicatio-
ne, iudicarunt eruditi.

§. XIV.

Firmo ergo talo nititur antiqua illa et com-
munis de arte diui Lucae euangelistae medica
sententia. Quando autem exinde, quod deditus
illi fuerit, colligere nonnulli voluerunt, humilem
ipsi contigisse nascendi fortem, non possumus
non erroneam hanc eorum coniecturam pro-
nuntiare.

Constat, Lucam nostrum fuisse Syrum, Antiochia ni-
mirum, vrbe Syriae percelebri, oriundum. Haec autem
Syria cum Romanis multos seruos exhibuerit, ac medicina
munus fuerit seruile, volunt, Lucam quoque inter roma-
na aliquamdiu vixisse mancipia, ibidemque artem medicam
in seruitute sua exercuisse, donec manumissus et patriae
redditus per omnem vitam arti illi praeclearae et praedi-
cando simul euangelio vacauerit. Sententia haec est HY-
GONIS GROTTII in *annotatis ad Lucae euangelium, tom. VI.
criticorum sacrorum, pag. 1152.* quam etiam fecit GVIL-
EAVE in *antiquitatibus apostolicis, p. m. 763.* Sed falsa est, quae
hic asseritur, hypothesis. Verum quidem est, Syros in-
primis seruituti natos dici apud veteres, Syrorumque inde
frequens seruorum fuisse nomen. vid. IO. CLERICVS *ad
Genes. XXXII. 5.* et NIC. ABRAHAMVS *ad Ciceronem, tom.
III. edit. GRAEVII, part. I pag. 593.* Inde vero nondum
sequitur, Lucam ex Syria oriundum inter romana aliquam-
diu vixisse mancipia, quemadmodum in contrarium recte
monet PETR. ZORNIVS in *epistola, qua: num medici olim
serui fuerint, necne?* disquisiuit, *Kilon. edita 1710.* et recu-
sa

sa in eius *opusculis sacris*, tom. I. pag. 335. sq. Deinde falsum quoque est, vti ibidem ille docet, solos seruos fuisse medicos. Quamuis enim olim FRANCISCVS ROBERTELLVS eandem defenderit sententiam, rectissime tamen, quod medicina ars fuerit seruilis, negasse IAC. SPONIVM in *miscellaneis eruditae antiquitatis*, pag. 144. CELLARIVM in *diss. de originibus et antiquitatibus medicis*, cap. VI. §. 2. ISAAC. CASAVBONVM ad *Suetonium*, CAROL. DRELINCOVRT in *apologia medica*, SAM. PETITVM *comment. in leges atticas*, p. 300. et MATTHIAM ZIMMERMANNVM in *florilegio philologico-historico*, pag. 512. obseruat ZORNIVS, addens, quotquot Romae medicinam professi fuerint, ingenuos, saltem libertos, fuisse, in magna apud principes constitutos gratia, eorumque consiliarios amicos dictos, testibus ISAAC. CASAVBONO et CLAVD. SALMASIO in *annotationibus ad Aelium Spartianum*, EZECHIELE SPANHEMIO *dissert. V. de praestantia et usu numismatum antiquorum*, pag. 44. LAVRENTIO PIGNORIO *de seruis et eorum apud veteres ministeriis*, pag. 219. MATTHIA ZIMMERMANNO in *analectis miscellis menstruis eruditionis sacrae et profanae*, pag. 166. IAC. GOTHOFREDO *commentario ad tom. III. codicis Theodosiani*, pag. 7. IO. SELDENO in *uxore hebraea*, lib. II. cap. XVI. pag. 143. et BERNH. LAMI *comment. in harmon.* pag. 572. Erudite quoque nuper idem, quod non seruilis fuerit medicorum, Romae degentium, conditio, docuit RICHARDVS MEAD, medicus Anglus, in *oratione anniuersaria Harueiana*, qua honores medicinae recensuit, et per quos maxime reges aut principes et apud quos populos creuerit salutaris artis gloria, demonstrauit, Londini impressa 1725. cui *dissertationem* adiecit de *nummis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percussis*. Aduersarium ille ideo nactus est CONGERS MIDDLETON, theologiae professorem et academiae Cantabrigiensis protobibliothecarium, qui in *diss. de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione*, con-

tra illum et IAC. SPONIUM *seruilem eam fuisse*, ostendere voluit, *Cantabrigiae 1726. 4. edita*, cuius *dissertationis contra Anonymos quosdam, notarum breuium, responsionis, atque animaduersionis auctores, defensionem* idem edidit, cuius *pars prima* prodiit *ibid. 1727. 4. conf. acta eruditorum an. 1727. mense Mart. p. 127 et anni 1728. mense April. n. 10.* Praeter illas autem Anonymorum *notas, responsiones atque animaduersiones* memoratas, quibus primam defensionis suae dissertationis partem opposuerat MIDDLETONIVS, prodiit etiam ipsa haec *dissertationis de medicorum Romae degentium conditione ignobili et seruili defensio examinata, Londini 1728.*

Patet autem ex iis, quae adduximus, errasse utique GROTIUM et CAVEVM, nec vllum ab arte Lucae medica ad probandam humilem ipsius nascendi sortem peti posse argumentum.

§. XV.

Absolutis, quae ad confirmandam artem euangelistae nostri medicam in medium erant afferenda, restat, vt nonnulla adhuc de Luca medico momenta, huc pertinentia, sub finem dissertationis nostrae adiiciamus. Sic quaesitum inter eruditos fuit: num durantibus ministerii annis artem hancce exercuerit, necne? affirmantibus aliis, aliis negantibus.

Iam obseruatum supra fuit, exstitisse quosdam inter eruditos, qui, Lucam euangelistam medicum fuisse, negauerint. Fuisse vero paucos, nec, quae protulerunt, argumenta tanti, vt negari inde illud iure queat, simul euictum dedimus. Nonnulli tamen eorum, qui in dubio totam rem relinquere maluerunt, videntes scilicet, quod affirmantium argumenta nimis euidenter communem de Luca medico sen-

ten-

tentiam confirment, ita diiudicandam controuersiam esse putarunt, vt, durantibus ministerii annis medicae artis exercitio abstinuisse euangelista diceretur. Praecipuus horum est laudatus GEORG. HENR. GOETZIVS in citata *de theologia pseudo-medicis disquisitione*, §. 17. pag. 471. *meletematum Annaebergensium*. Non probabile hic esse putat, virum sanctum, cui dei voluntas exacte fuerit cognita, et varia in scribenda historia sacra atque praedicando euangelio sustinenda, allotria tractasse medicisque ordinariis aegre fecisse. Hinc cum aliis ipsi videtur, medicum dici Lucam, non quod tunc temporis artem hanc adhuc exercuerit, sed quod olim eius studio addictus fuerit. In partes HIERONYMVM vocat *ad Col. IV. 14. tom. IX. operum, pag. 304.* sic commentantem: *euangelista ex medico erat, sicut Matthaeus iam apostolus adhuc dicitur publicanus; et MATTH. POLVM in synopsi criticorum, vol. V. pag. 898.* ex interpretum mente scribentem: *sic eum vocat ab arte, quam olim exercuit, qua etiam insignem operam fidelibus praestitit.* Cum GOETZIO consentiunt SAM. BASNAGE, de quo supra diximus, in *annalibus politico-ecclesiasticis, tom. I. pag. 713.* *Medicum, verba eius sunt, prius egerit, si lubet, quam euangelio ministrando consecraretur. Vbi vero caelesti legati Iesu Christi dignitate indutus est, non a communi quidem, sed a sacra potius disciplina, titulum adipisci debuit; et IO. MEELFVHRERVS in vindiciis euangelicis, decad. VI. disp. II. §. 95. pag. 47.* *Lucas sane appellatur medicus. Quod autem durante suo ministerio artem medicam exercuerit, nullibi expresse legitur: aut si exercuit, eandem rationem habuit cum Paulo, illis temporibus necessitate ita suadente, ne cursui euangelii impedimentum obiiceretur, quando aeraria et stipendia pro ministris verbi nondum erant constituta.* Affirmatiuam contra sententiam defendit MICH. BOVDEWYN, medicus Batauus, in *ventilabro medico-theologico, Antwerp. 1666. 4. edito, p. 267.* Nostro quidem, si quid est, iudicio nec affirmari tuto, nec negari poterit haecce quaestio, cum neque exercuisse artem priorem Lucam, iam euangelistam, tradant

tradant veterum monumenta, nec etiam nuntium eum illi misisse, eadem perhibeant. Dolemus, non licuisse nobis argumenta cognoscere BOVDEWYNI, quibus ille, Lucam arti medicae durantibus ministerii annis operam dedisse, demonstrare voluit, cum liber iste perrarus haud ad manus nobis fuerit. In medio ergo totam rem relinquimus. Id saltem monemus, ex iis, quae adduxit B. GOETZIVS, argumentis nondum, quod exercitio artis illius abstinerit euangelista, sequi. Vtrumque potuit ab eo fieri, ita quidem, ut praedicatio euangelii eiusque consignatio et historica de apostolorum actis relatio *εργον* fuerit ipsius atque opus primum, ars vero medica *παρεργον*, uti rem conciliant MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica ad Col. IV. 14.* et IO. ANDR. QYENSTEDIUS in *disputationibus exegeticis in epistolam ad Colossenses, disp. VIII. §. 30.* Nec inde, allotria tractasse Lucam, concludere cum GOETZIO licebit, cum nec Paulum eiusdem quis umquam arguerit, qui ipse euangelii praeconem agens artem tamen *κυρηνοποιος* exercebat. *Actor. XVIII, 3.* Neque medicis ordinariis aegre fecisse euangelistam, uti loqui amat GOETZIVS, dicendum erit, quando arte sua aliis opitulatus fuit; cum probandum illi antea fuisset, existisse iam tunc temporis inter christianos certos medicorum ordines, qui, ut hodie more receptum est, isti arti solos se ac totos dicauerint. Nec infuetum olim fuit, ut theologi simul medicinae operam darent. Docent id quamplurimis exemplis THOM. BARTHOLINVS in *commentario medico et philologico de paralyticis noui testamenti, Lipsiae tertium re. cuso 1685. 8. pag. 57.* ANDR. TIRAQUELLVS *libro de nobilitate, cap. XXXI. pag. 262.* et summe reu. VRB. GODOFR. SIBERSVS noster in *vita sancti Spyridionis, episcopi Trimitantini, Lipsiae hic 1718. 4. edita, cap. II. §. 13. pag. 38.* qui, nonnumquam adeo arte salutari aditum sibi apud reges et purpuratos sternere solitos fuisse sacerdotes, obseruat, cum per simplicitatem illi aliquid diuinitatis subesse rati, tanto citius paulo post ea receperint, quae animum integritati reddere

reddere valent. Patres, qui studio medico olim prae ceteris disciplinis fauerunt, recenset ELIAS VEIELIVS in *dissertatione epistolica de summa dignitate et praestantia studii medici iuxta mentem ductumque SS. graecorum et latinorum patrum, ad* IO. CASP. BEVTELIVM *Vlmae 1692. data, p. 20.* Inprimis vero obseruandum hic est, prima ecclesiae christianae aetate pro temporum istorum ratione clericos quoque alias artes addiscere solitos fuisse, quo, cum aera et stipendia verbi diuini ministris constituta nondum essent, compararent sibi, quo vitam sustinerent, nec oneri ecclesiis essent. conf. *Actor. XX. 34. 1. Cor. IX. 12. 2. Thess. III. 8.* Imo idem iniunctum illis fuisse, ex variis canonibus manifestum est, de quibus vid. IO. MABILLONIVS *de studiis monasticis, lib. I. cap. XIV.* Ita Lucam sui sustentandi causa postea etiam artem medicam exercuisse, affirmari poterit, nec tamen inde aliquid characteri ipsius euangelistae detrahetur. vide sis FRIDER. BALDVINVM *comment. ad Col. IV. 14.* IO. GERHARDVM *loco de ministro ecclesiae, §. 292.* IO. ADAM. OSIANDRVM *in theologia casuali, part. V. cap. II. p. 554.* et THOM. BARTHOLINVM *l. c.* Aliam rationem ex B. HVNNIO reddit SEB. SCHMIDIUS *comment. ad Col. IV. 14.* quare adhuc dum medicum fuisse Lucam, Romaeque medicinam exercuisse, credibile sit, vt gratior nimirum Romanis esset, et conciliandi Paulo gratiam occasionem haberet. GOETZIVS quidem cur tam acriter id oppugnauerit, facile est videre. Animus ipsi fuit in laudata disquisitione, quod theologis lucri causa artem exercere medicam non liceat, demonstrare. Solidis quoque illud atque firmis argumentis confirmauit. Cum vero ad rationes, quae in contrarium afferri solent, examinandas atque diluendas peruenisset, ex MARTINI SCHOOCKII *variis animaduersionibus* depromsit illas atque refutauit. Opposuerat hic inter alia REINESIO exempla eorum, qui sacris destinati negotiis medicinam professi fuerint, et Lucam quoque his euangelistam iunxerat. Hinc, quo deesset

huic SCHOOCKII argumento robur, omnem mouit lapidem B. GOETZIVS, vt veterem de Luca medico sententiam, vnanimi consensu primis temporibus approbatam, in dubium vocaret, aut saltem, Lucam durantibus ministerii annis abstinuisse artis huius exercitio, demonstraret. Sed non opus habuisset vir doctissimus tanto id conatu agere. Minime enim, si vel maxime medicum egit Lucas, euangelistae munere fungens, exinde, idem hodie licere ecclesiae ministris, sequitur, cum alia ratione honeste possint illi sustentari, nec artibus vti aliis adscitiis necesse habeant; sicuti communi hoc studio improbarunt nostrates theologi. vid. FRID. BALDVINVS *commentario ad Col. IV. 14.* et MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica ad eundem locum, et in centuria miscellaneorum theologicorum, pag. 277.*

§. XVI.

Quae vero praecipuorum in historia sacra capitum fuere fata, vt circa illa miracula vbiuis deprehenderit fabellasque finxerit nimia hominum, superstitioni litantium, erga sacra reuerentia: eadem quoque Lucae medici experiri debuit historia, hinc inde effectus supernaturales reliquiis eius affingentibus credulis istorum temporum ingenis.

De reliquiis euangelistae Lucae, summa veneratione a religiosa antiquitate exceptis, iam non dicemus, alia fortasse occasione id vna cum ceteris vitae ipsius circumstantiis vltcrius explicaturi. Saltem ea, quae a diuo Luca, tanquam medico, profecta venerata fuit superiorum temporum supersticio, paucis commemorabimus. *Ἀλαττιον* ali-
quod

quod finxerunt illi, quod auctorem agnoscat euangelistam. Mirandam tribuerunt huic efficaciam omnes curandi morbos, inprimis oculorum restituendi aciem, visumque ad senectutem vsque conseruandi. Monachos inde Aegyptios vti illo ad satietatem vsque nugati sunt, quo lectionibus vacare semper queant. Praesertim autem calligraphis inferuire illud, diligenter ideo vtentibus isto, tradiderunt. Mentionem huius αλατιου fecerunt BERNHARDVS DE MONTFAVCON in *palaeographia graeca*, p. 37. et CAROLVS DV FRESNE in *appendice ad glossarium mediae et infimae graecitatis*, p. 90. qui in codice regio Parisino 3497. fol. 156. describi aiunt αλατιον του αγιου αποστολου και ευαγγελιστου Λουκα, δωδεκαθεον ονομαζομενον, ωφελουν εις παντα τα παθη, εξαίρετως την αμβλυωπιαν, ω και οι καλλιγραφοι χρωνται, i. e. *alatum s. medicamentum ex sale confectum S. apostoli et euangelistae Lucae, dodecatheon dictum, omnibus morbis curandis utile, praesertim oculorum restituendae aciei, quo etiam calligraphi vtuntur.* Notat ibidem MONTFAVCONIVS, vocem δωδεκαθεον, *duodecim deorum*, qua medicamentum illud antiquitus insignitum fuerit, ex gentilium superstitione manasse, qui duodecim deos, aliorum primipilares, enumerabant, his duobus versibus enunciatis:

*Iuno, Vestā, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Magnifico autem του δωδεκαθεου nomine remedii vis atque praestantia declaratur. Meminit etiam PETRVS LAMBECIVS *commentar. de bibliotheca Vindobonensi*, tom. VI. pag. 107. codicis manuscripti, in quo inter alia anonymi cuiusdam auctoris opus tripartitum graeco-barbarum contineatur, cuius inprimis notabile sit *cap. XCVI. de compositione του αλατιου Λουκα του αγιου ευαγγελιστου*, h. e. embammatis falsi siue falsi intinctus (qualis ab Italis simpliciter vocatur *salsa*, et a Gallis *sausse*) S. Lucæ euangelistae, professione medici; cuius quidem embammatis vtilitatem et efficaciam magnam ac multiplicem ibi praedicari ait ad conseruandam sanitatem

tem et prolongandam vitam, si quis pie uiuat et cibos in illud quotidie intingat. Effectibus his miraculosis, quos a credula antiquitate tributos esse sali huic Lucae euangelistae, narrant laudati viri docti, alios adhuc addit NIC. MYREPSVS, Alexandrinus, in *libro de compositione medicamentorum, sect. II. quae de salibus agit, c. XVI.* vbi in describendo illo apprime diligens est. Praeter vim enim visum ad senectutem vsque conseruandi tribuit ipsi quoque virtutem hanc, quod non permittat tussim fieri et spirandi difficultatem, nec pilitam in thorace fieri sinat, neque lippitudinem, nec dentium dolorem, vellicationem item sedet, et pedum dolorem fieri prohibeat. Hi sunt eximii isti effectus, quibus gaudere sal hocce siue *αλατιον*, a Luca euangelista compositum, tradiderunt veteres. Quis vero non videt, suauia haec esse somnia illorum temporum, quibus credulitate, cum superstitione plerumque iuncta, ducti homines quibusuis statim fidem habuerunt narratiunculis, easque in literas retulerunt sedulo, propagandas ita ad posteros et aliorum subinde mendaciorum accessione mirum in modum augendas. Quorum quidem commentorum vti nulla expers est pars historiae ecclesiasticae, ita in vitis sanctorum largissima cum primis feget efflorescit. Hinc miracula ista, aut potius miraculorum monstra, vt ipsemet MELCHIOR CANVS vocat in opere *de locis theologicis, lib. VI. cap. XI. p. 231.* vt labor fere herculeus fuerit illorum, qui in emendanda historia ecclesiastica fabulisque ac inanibus figmentis inde proscribendis laudabilem operam posuerunt, et ab iis Augiae hocce stabulum sumserunt sibi repurgandum. Quare mirum non est, tale quid diuo etiam Lucae accidisse, quem cum medicum fuisse, constaret inter veteres, commodam nanciscebantur occasionem fabularum istorum temporum promicondi noua comminiscendi miracula, ab eiusdem medicina arcessenda.

Nec fatis his fabularum fuit, quod medicamenta fingerent a diuo Luca medico profecta; necesse quoque erat, miracula excogitari, quae post mortem sancti huius

viri

viri omnes docerent religiosae antiquitatis cultores, quod medicus fuerit diuus hicce euangelista. Eiusmodi fufuris sunt, quae de vnguento medicinali, in loco, vbi sepultus fuerit S. Lucas, reperto narrantur. Tradunt niuirum, diuum Lucam euangelistam sub imperio Neronis oleae frugiferae suffixum fuisse, cum ad parandam crucem nullum iis in locis lignum aridum fuerit repertum; corpus eius sublatum deinde a quodam et inter multa alia sepulchra reconditum, atque effectum ita esse, vt in obscuro eius sepulturae locus esset; cum vero postea discipuli eum requisierint ac propter sepulchrorum multitudinem apprehendere non potuerint, precibus a deo impetrasse illos, vt ea nocte collyria medica super eius tumulum depluerint, tanquam nota artis, quam exercuerit viuus euangelista, atque hoc quidem modo eius innotuisse sepulchrum. Ita rem narrant MICH. GLYCAS, Siculus, in *annalibus a mundi exordio vsque ad obitum Alexii Commeni, imperatoris, part. III. pag. 237.* et GEORG. CEDRENVS in *compendio historiarum, p. 212.* Quemadmodum vero non magna est horum scriptorum inter historicos auctoritas, quippe quos fabulis subinde et commentis indulgisse constat, ita haec quoque eorum, quam recensuimus, narratio non maiorem fidem meretur, quam quae traditioni de *αλατιω* Lucae tribuitur. Vtrumque enim cum nimium redoleat illa, quibus sola fingendi relicta erat gloria, tempora, merito reiiicitur.

§. XVII.

Idem de commercio, quod cum medicorum illo principe, CLAVDIO GALENO, Pergameno, intercessisse diuo Lucae euangelistae aiunt, iudicandum est: nec enim meliori fundamento traditio ista nititur.

Insignem fuisse veterum in fingendis de medicina Lucae miraculis ac praeternaturalibus ipsi tribuendis effectibus diligentiam, ante indicauimus. Alia iam est eiusdem generis commemoranda nobis traditio. EX CASTELLO refert IO. REISKIUS in *exercitationibus historicis de imaginibus Iesu Christi, exerc. V. cap. II. §. 4.* fuisse, qui GALENI Pergameni discipulum; alios, qui eiusdem necessarium habuerint Lucam euangelistam, huncque illo comite iter Hierosolymas fecisse, ut Christum medicum sine remediis vsurpatis celeberrimum cognosceret, socioque in via defuncto discipulis septuaginta nomen suum adscripsisse, voluerint. Commercium quoque literarium intercessisse euangelistae cum GALENO, nonnulli tradiderunt, uti in bibliotheca RENATI MOREAV fuit *epistola Lucae ad Claudium Galenum*, quemadmodum ex LABBEI *bibliotheca noua manuscriptorum*, p. 217 refert B. IO. ALB. FABRICIUS in *bibliotheca graeca, lib. IV. cap. V. pag. 133. not. k*) Statim vero, non minus confictam fuisse hanc epistolam, addit laudandus numquam satis FABRICIUS, quam imagines, quas a Luca pictas nonnulli commenti sunt. Nec maioris ponderis erit, quod de coniunctione vel affinitate Lucae cum GALENO, teste CASTELLO, alii tradiderunt. Caret enim illud quoque scriptorum fide dignorum testimoniis, quod, si verum fuisset, non sane tacuissent isti, qui historiam diui Lucae diligenter satis concinnarunt.

§. XVIII.

Habent ergo, de quo glorientur, in diuo Luca euangelista artis medicae cultores. Quodsi vero patronum ideo adoptare eum velent, aequae foret id superstitiosum, ac reliqua, quorum nonnulla commemorauimus, reprehendendae eiusmodi reuerentiae genera.

Solemne